



NOVARVM INSV-

LARVM DESCRIPTIO. Infitus ferè est numerus nouarū insularum, quæ post annū Christi 1490. usq; in hunc diem ab Hispanis sunt inuentæ. Insigniores sunt, America, Cuba, Hispaniola, Francisca, Terra florida &c. America ab Americo inuentore nomen est sortita, qui anno Christi 1497. ex mandato regis Castiliæ illam intrauit, appellaturq; propter magnitudinē suam Novus mundus. Et habet plures adiacentes insulas, nempe Parianā, Hispanam, quæ & Offira, Iamicam, quæ & Iamaica & Lamia, Cubam quæ & Fernandina, Iucatanam, quam incolæ Eccampī uocāt, Cozumellā, quæ & sanctæ crucis, Isabellam, Spagnollam, in qua lignum Guaiacum inuenitur, cuius usus est contra morbū gallicum. Incolæ Americæ mares & fœminæ omnes nudi incedunt, uiuūtq; in summa libertate, nullū habentes regem aut dominum. Nulla iura aut iusticiam seruant, nec parentes filios docent aut corripiunt. Arcu & sagittis pugnant contra confines suos aliene lingue. Inueniuntur enim in istis insulis multæ & variæ lingue. Domus eorum sunt constructæ instar campanarum firmiter ex magnis arboribus solidatæ, palmarum folijs desuper contectæ, aduersus uentos & tempestates tutissimæ. Diuitiæ eorum sunt uariorum colorum auium plumæ & calculi quos ex pisciū ossibus lapillisq; uiridibus aut candidis faciunt, & ornatus gratia ad genas uel aures suspendunt. Viuunt ex radicibus, fructibus, herbis & uarijs piscibus. Carent farre & omni grano. Communis pastus est, arborea quædam radix, quam cōminuunt in farinam satis bonā. Carnibus non utūtur præterquā hominum. **PARIAS** sub tropico Cancrī sita est. Et est prouincia illa multum amœna fructiferaq; maximis syluis plena, quæ omni tempore florent. Est & populosa & densa uarijs animalibus syluestribus, præsertim aibus diuersorum colorum. In insula **Ity** nuncupata, homines nudi quoq; incedunt, & corpus uarijs coloribus pingunt, uarijsq; uolucrum pennis adornant. **CANIBALI** seu **Cannibales** ultra æquatorē habitantes, crudelissimi sunt homines, quippe qui uictos homines captos abducunt, mactant & comedunt. Notandum hic, Americam ab alijs uocari Hispanam, quam Christophorus Columbus anno Christi 1492. primus inuenit, & postea Americus quoq; inuentā inuisit. **Dominica** insula, **Dominica** die reperta, & hinc sic denominata, inculta est, densis arboribus obducta. Insulam **Canibalorum** Hispani **Guadalipeam**, incolæ uero **Grachanā** uocant. Insulam **Sanctæ crucis** incolæ uocant **Ayay**. In **Hispaniola** 28. torcularia referuntur erecta, quibus magna saccari copia extorquetur.

